

8.41.5

*Idem A. Potamoni.*

Iure nostro est potestas creditori relicto reo eligendi fideiussores, nisi inter contrahentes aliud placitum doceatur.

*PP. VI non. Mai. Messala et Sabino cons.*

[a. 214]

8.41.6

*Idem A. Pollae.*

Si pater tuus pro Cornelio, cum pecuniam mutuam acciperet, se non obligavit, frustra ex eo, quod tabulas obligationis ut testis adsignavit, conveniris.

*PP. XI k. Iul. Messala et Sabino cons.*

[a. 214]

8.41.7

*Idem A. Eroti.*

Si creditor condicioni mandato adscriptae, cum pecuniam mutuam daret, in accipiendis hypothecis non paruit, frustra te iudicio mandati convenit, quando non alias te obligasse intellegaris, quam si pignoribus contraheretur obligatio.

*PP. k. Iul. Laeto II et Cereale cons.*

[a. 215]

8.41.8

*Imp. Alexander A. Longo.*

Filius familias, qui pro patre, quamvis in venditione fundi, fideiussit, tenetur.

*PP. II id. Oct. Maximo II et Aeliano cons.*

[a. 223]

8.41.9

*Idem A. Aristocrati.*

Etiam si de iure obligationis pignorum actum fuerit, fideiussoribus liberatio non contingit.

*PP. V k. Dec. Maximo II et Aeliano cons.*

[a. 223]

8.41.10

*Idem A. Vitali.*

Fideiussor seu mandator si in usuras quoque obligatus est, iustam causam recusandi solvere eas non habet.

1 ¶ Ut autem is, qui cum altero fideiussit, non solus conveniatur, sed dividatur actio inter eos qui solvendo sunt, ante condemnationem ex ordine postulari solet.

*PP.*